

voluntas Christi manifestatur. Ita ad Ephesios IV, 3 seqq.: ex quibus habes a) servandam esse unitatem Spiritus in vinculo pacis (3): b) quemadmodum Ecclesia est unum corpus, unus Spiritus, quemadmodum una est spes vocationis fidelium, unus est Dominus, unum baptisma, ita unam esse Fidem (4. 5): c) Christum instituisse pastores et doctores ne circumferantur fideles, veluti parvuli fluctuantes, omni vento doctrinae, ne scilicet diversae sint opiniones in fide, quas sectentur fideles, sed ut occurrant omnes in unitatem Fidei εἰς ἑνωτητά της πιστεως, in virum perfectum (11. 13) (ἀνὴρ τελειος opponitur νηπιους κλυδωνιζομενοις parvulis fluctuantibus: metaphorica est locutio; significatur autem quod sicut per gradus quosdam aetas hominis ad virilem pervenit perfectionem, perfectio autem virilis aetatis in eo est quod vires corporis firmae sint, animusque sit constans et propositi tenax, ita adhaesio nostra fidei debet esse firma et stabilis, ut simus in fide viri perfecti non parvuli fluctuantes). d) Hanc autem unitatem fidei patet obtinendam esse in hac vita; in hac enim ministerium doctorum existit: atque in hac vita crescere debent fideles in Christo veritatem facientes (15) ἀληθευοντες in caritate (ἀληθης enim est qui a vero non aberrat. Aristot. De Anima L. III, c. 3). Quia vero μεχρι donec significationem temporis habet, cum dicit Apostolos Doctores datos esse in opus ministerii donec occurramus omnes (ipse se Paulus cum ceteris connumerat), sensus est quod huiusmodi opus tamdiu durare debet quamdiu ex omnibus gentibus ex omni terrae parte erunt homines congregandi in unitatem fidei, scilicet donec omnes occurramus (13) in unitatem fidei. Semper autem ab omnibus, qui occurrunt, conveniendum est in unitatem Fidei, eademque servanda firmiter et constanter: excluditur enim pro omnibus fluctuatio in fide, veritasque in caritate facienda omnibus edicitur qui crescunt in Christo (14. 15). Non itaque is est sensus, quod unitas fidei sit terminus quidam in quem Ecclesia tendit, quem tamen non statim assequitur, ita ut proinde etiam sine eo ipsa esse possit. Liqueat 3) ex historia institutae et propagatae Ecclesiae; primi enim fideles perseverantes erant in doctrina Apostolorum Act. II, 42; iisque praecipitur ut stent et teneant traditiones quas didicerunt sive per sermonem sive per epistolas Apostolorum 2. Thessal. II, 14: praecipiturque Episcopis ut depositum custodiant, devitantes ἀντιθεσεις falsi nominis scientiae 2. Timoth. VI, 20; et quae audierunt ab Apostolis commendent fidelibus hominibus, qui idonei sint et alios docere 2. Timoth. II, 2; ac universim edicitur anathema esse quicumque evangelizaverit praeter id quod Apostoli evangelizarunt Gal. I, 8. 9. Atque ita universa Ecclesia id semper custodivit ut alienos ab Ecclesia haberet, qui ab unitate fidei defice-

rent, ab ea nempe fide quam Apostoli Ecclesiae tradiderunt; ut ex universa haereseologia constat. Liqueat id 4) ex unanimi testificatione Maiorum: ex qua, speciminis gratia, haec satis sit producere « Ecclesia enim per universum orbem dispersa, teste Irenaeo (L. I, c. 10), praedicationem et fidem ab Apostolis acceptam, velut animam unam et unum idemque cor habens, miro consensu quasi uno ore praedita, praedicat et docet.... veraque et universa Ecclesia unam et eandem toto terrarum orbe fidem tenet. » « Apostoli enim in orbem profecti eandem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulgaverunt, et proinde Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinae ceterae exinde Ecclesiae mutuatae sunt, et quotidie mutantur, ut Ecclesiae fiant; » ait Tertullianus De Praescript. n. 20. « Tunc enim unitas (Ecclesiae) est, cum omnes similiter credimus » inquit Chrysost. in Epist. ad Ephesios hom. XI. « Ecclesia enim ab una fide genita, ac per Spiritum S. in lucem edita, una est soli et uni genitrici (μια τη μονη και μια γεγεννηκυια), » ait Epiphanius in exposit. Fidei n. 5. Et sane huc semper spectavit omnis pugna Ecclesiae cum haereticis, huc editae professiones fidei, huc decreta fidei in Synodis vel ab Apostolica Sede lata, ut una eademque fides integra in universa Ecclesia custodiretur. Neque refragatur Iustinus in Dialogo n. 48. cum ait: « Sunt enim quidam ex genere nostro, qui eum (Iesum) confitentur esse Christum, quamvis hominem ex hominibus genitum pronuntient, quibus ego non assentior, nec assentirer etiamsi maxima pars eorum qui mecum sentiunt, idem diceret. » Homines enim quos ex genere nostro vocat Iustinus sunt haeretici qui cum in Christo fuerint geniti et quadam ratione Christiani semper sint, ex genere nostro dicuntur esse, idque solebant Patres cum eos Iudaeis aut Gentilibus opponerent. Cf. Origenem contr. Celsum L. III, n. 12. Hieronymum praefat. L. XI. in Esaiam. Cum autem haec ratio sit cur ex genere nostro dicantur haeretici, non sequitur eos a Patribus tamquam verae Ecclesiae membra habitos esse; inter plures enim Christianas sectas una est vera Christi Ecclesia.

B) Cum haec unitas materialis quoddam principium determinans requirat, tale principium ex Christi institutione est auctoritas magisterii; ideoque ex Christi institutione et unitas formalis fidei in Ecclesia postulatur, eaque per authenticum et infallibile magisterium efficitur. Sane praeterquamquod Deus immediate singulos non docet vel interius per interiorum locutionem, vel exterius per signa testificantia verum esse quod aliquis nomine suo proponit, constat Christum magisterium authenticum et infallibile constituisse, et omnibus obedientiam erga ipsum praecepisse, idque solum et omne voluisse credi

quod ipsum doceret. Haec ex iam demonstratis evidentiis sunt. Et sane hoc pacto semper discreti sunt fideles ab haereticis, quod illi Ecclesiam audirent, hi sibi ipsis magistri essent erroris: atque huc spectarunt semper professiones fidei, et decreta fidei edita in Synodis ut tessera communis fidei omnibus proponeretur qui Ecclesiae filii esse vellent.

C) Porro collatis iis, quibus in praeced. §. reiecit distinctionem protestanticam articulorum fidei in fundamentales et non fundamentales, liquet unitatem fidei quae ex Christi institutione in Ecclesia requiritur esse unitatem circa omnia dogmata revelata sive explicite sive implicite credita. Unde constat quodnam iudicium ferendum sit de opinione modernorum Protestantium, quam exhibet M. Jurieu in opere cui titulus: le vrai systeme de l'Eglise pag. 79 inquit « nostra opinio est quod ecclesia catholica et universalis sit diffusa in omnibus sectis, habeatque vera membra in omnibus ex harum numero societatibus quae non diruerunt fundamentum religionis christianae, etsi sint ab invicem divisae et se mutuo excommunicaverint... Nam Ecclesia, ut ait pag. 226, mansit visibilis in cunctis communionibus, quae non obstantibus anathematis mutuo adversus se latis et earum separatione, conservarunt semper veritates principales. » Impie autem furit in Ecclesiam Romanam (ibid. pag. 54) eo quod doceat se esse unicam Ecclesiam in qua salus possit obtineri: quid enim aliud sic docendo docet quam in sola vera Ecclesia haberi posse salutem, seque esse exclusive veram Ecclesiam; quae duo evidenter ipsa demonstrat?

IV. Coetus religiosus in Dei cultum destinatus colligari debet quibusdam sacris ritibus, quibus homines et dedicentur Deo et Deo cultum exhibeant et a Deo vicissim perficiantur. « In nullum enim nomen religionis sive verum sive falsum coagulari homines possunt nisi aliquo signaculorum vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur » (August. adv. Faustum L. XIX, c. 11). Est de essentia proinde coetus religiosi ut quosdam ritus sacros habeat. Ritus sacri communes esse possunt cunctis ad coetum pertinentibus duplici modo, nempe 1° immediate actuali perceptione ut in Ecclesia baptismus seu iure actualis perceptionis, ut Eucharistia: atque 2° mediate h. e. consensione et effectuum eorum participatione, quatenus quidam ritus qui a quibusdam tantum suscipi possunt et debent, ab omnibus admittantur, habeanturque ut ritus sacri iisque debita reverentia adhibeatur atque in bonum commune cedant, quemadmodum est ordo sacer. Actualis vero perceptio ritus sacri rursus duplex esse potest, si ritus sacer huiusmodi sit ut immediate in bonum omnium peragatur, scilicet perceptio activa, qua ritus ipse fit, et

passiva, qua effectus eius participantur; cuiusmodi est sacrificium. Ex hac communionem rituum sacrorum oritur unitas ritualis coetus religiosi. Haec autem unitas rursus duplex distinguenda est, *materialis* nempe et *formalis*. Materialis est ipsa communicatio omnium rituum sive immediata sive mediata; formalis est ratio existens in coetu determinans hanc communicationem eiusque stabilitatem ac perennitatem; certos enim oportet esse ritus sacros in aliquo determinato religioso coetu, eosque stabiles et perennes, si coetus stabilis et perennis esse debet; ad id autem obtinendum requiritur ut in ipso coetu sit principium aliquod quo fiat ut omnes eosdem ritus perenniter servant, si ille coetus sit per se non per accidens coetus religiosus. Porro necesse est ut hoc principium in Ecclesia illud sit quod Christus instituit.

Quaeres num possint esse quidam ritus sacri proprii tantum aliqui partis coetus religiosi? Si sint quidam ritus accidentales, et quorum exclusio non includat negationem alterius unitatis essentialis nempe in fide; quique proinde a ceteris quoque probari possint et pro opportunitate usurpari, unitas religiosi coetus haberi poterit, etsi non omnes ritus sint communes. At si e contrario sint ritus necessarii aut essentialis, quorum exclusio includat negationem unitatis in fide, ii omnibus debent vel immediate vel mediate esse communes, ut unus sit coetus religiosus.

Iam vero A) in Ecclesia unitas ritualis *materialis* postulatur. Ratio est quia id exigitur ab essentia coetus religiosi. Et sane communis esse debet omnibus ritus idem initiationis, h. e. baptismi Matth. XXVIII, 19; Eph. IV, 5; communis idem ritus Eucharistiae et sacrificii 1. Cor. X, 17; Ioan. VI, 54, coll. Matth. XXVI, 26; 1. Cor. XI, 23; Act. II, 42. Praeterea professio unius baptismi in symbolis continetur. Patribus autem solemne est explicare unitatem visibilem Ecclesiae per consortium eorumdem Sacramentorum (cf. Augustini testimonia pag. 62). Et Patres Apostolici, ut passim Ignatius in suis epistolis, cum unitatem Ecclesiae commendant illud data opera praecipiant ut in ritibus sacris omnes cum Episcopo uniantur, et nihil sine Episcopo fiat, unitas scilicet sacrorum asseritur. Iam vero necesse est ut unitas ritualis Ecclesiae complectatur omnes ritus qui sunt divinae institutionis; qui quidem sunt Sacramenta septem et sacrificium. Sane hi ritus necessarii sunt, quia necesse est ut coetus religiosus a Deo institutus eo modo Deum colat, Deoque dedicetur atque a Deo perficiatur, quem ipse Deus instituit. Instituit porro Deus haec fieri per eos determinatos ritus. Et re quidem vera exclusio cuiuscumque horum rituum includeret dissensionem in fide; si enim Deus ritus hos instituit et iussit adhiberi, creden-

dum est eos esse ritus sacros, illudque eos praestare quod divina revelatio docet, eosque esse ex divina institutione adhibendos et necessarios in Ecclesia Dei: ergo.

B) Oportet autem, ut diximus, hanc unitatem rationem sui in ipso coetu habere per quam stabilitas et perennitas eiusdem unitatis efficiatur. Si enim id desit, fieri quidem poterit ut identidem omnes in idem conveniant, sed id erit per accidens non per se, ex mutabili hominum arbitrio non ex vi ipsius coetus religiosi. Ideoque non esset Ecclesia in hac hypothese coetus per se unus unitate sacrorum; et sic neque esset per se coetus cui nomen Ecclesiae competat: nam si per se non haberet unitatem sacrorum, fieri per se posset ut ritibus omnibus careret quibus eum auctor ipsius voluit esse religiosum; ideoque per se non esset, sed solum forte per accidens coetus religiosus: si autem per se non est coetus religiosus, iam nullus est coetus qui mereatur dici Ecclesia. Iam vero Christus in Ecclesia sua principium posuit unitatis perennis sacrorum, et sic voluit utramque unitatem materialem et formalem, ut decebat. Posuit scilicet ministerium ab Apostolis inchoatum in successores eorum iugiter continuandum, cui custodia et administratio sacrorum infallibilis commissa est. Ut proinde communicare quidem debeant fideles sacris, sed ea accipiendo ab iis vel sub eorum directione quos Christus sacrorum ministros instituit. Haec patent ex ipsa institutione ministerii, qua Christus Ecclesiam suam fundavit. Huc spectat doctrina Ignatii in omnibus suis epistolis. Hinc libri liturgici et rituales ab Ecclesiastica auctoritate editi ab antiquis quoque temporibus, quibus sacrorum administratio regeatur: ergo.

§. XXIII.

Ex demonstratis colligitur haereticos, schismaticos, excommunicatos, atque etiam catechumenos non esse actu membra Ecclesiae.

1. Praestituendum est initio posse eum, qui in Ecclesia est, separari ab ea ita ut amplius connumerandus non sit membris eius. Id constat ex ipso communi conceptu societatis, a qua quis sponte vel coacte separari potest separatione totali. Cum praesertim Ecclesia sit societas ad quam obligantur quidem homines, at lege; unde voluntarie ad eam convenire debent, et voluntarie permanere. Est ergo in potestate hominum abrumpere vinculum unionis, et se ab Ecclesia separare. Est etiam in potestate societatis rebelles prorsus a se abiicere. Idque semper in Ecclesia retentum est ac suppositum in quavis controversia cum haereticis et schismaticis, eorumque

proscriptione, ut deinceps patebit. Porro ut quis membrum Ecclesiae sit debet cum corpore coniungi per ea vincula, quibus unitas corporis necessario constituitur. Nec satis est quod Ecclesiae quomodolibet subsit potestati; nam et qui sunt alieni a quadam societate, possunt esse subiecti, licet inviti, potestati eiusdem; e. g. qui bello sunt victi; neque satis est quod certis in adiunctis iurisdictionem per modum actus transeuntis ab ecclesia quis recipiat in subditos eius; nam in bonum subditorum potest Princeps cuivis extraneo potestatem facere exercendi id quod utile sit subditis suis: quemadmodum et Christus fecit potestatem cuivis homini administrandi valide baptismum, etsi non sit in corpore suo. Scilicet aliud est reali aliqua relatione subordinationis aut dependentiae cum Ecclesia necti, aliud est esse membrum eius; id enim postulat unitatis vinculo cum eius corpore cohaerere. Rursus distinguenda est obligatio unionis cum Ecclesia qua quis teneatur et ius quod Ecclesia habeat ut quis sit ipsi unitus, ab actuali unione; potest enim illud utrumque esse sine hoc. Porro nos loquimur de actuali unione. Iam vero vinculum necessarium unitatis Ecclesiae triplex est, regimen, fides, sacra; triplex enim unitas, socialis, symbolica, ritualis est necessaria et essentialis Ecclesiae (§. praec.).

II. Haereticus est qui fidem susceptam abiicit, sive unum articulum sive omnes neget. Duplex distingui debet, occultus et publicus. Occultus iterum duplex distinguitur, scilicet is qui haeresim mente continet nec ullis exterioribus signis exprimit; et is qui exprimit quidem, sed nemine praesente aut sciente, ille *occultus per se* dicitur, hic *per accidens*. Publicus est qui haeresim suam palam profitetur ita ut constet ipsum sentire aliter ac Ecclesia docet; idque publice constet. Ut haereticus publicus sit, haec duo debent concurrere, haeresis interior eiusque exterior manifesta professio. Si enim ex errore quis profitetur quod haeticum est, putans id esse catholicum, ipse et haereticus non est et eius professio, si praesertim omnia adiuncta spectentur, est formaliter conformis magisterio Ecclesiae; significat enim (licet per accidens id identidem latere possit) se velle credere quod Ecclesia docet. De haereticis occultis iam disputavimus in §. IX. Negamus modo haereticos saltem publicos esse actu membra Ecclesiae. Sane 1) fac eos esse membra Ecclesiae: in hac hypothese Ecclesia erit societas eorum qui verum et falsum profitentur, et quia error multiplex est, veritas una, Ecclesia poterit esse societas cuius magna atque etiam maior pars errores licet diversos profiteatur: ideoque, hac admissa hypothese, non amplius verum erit fidem Ecclesiae esse unam, Ecclesiamque veram fidem profiteri, atque esse columnam et firmamentum veri-